

cebat, si corpus ejus ibi jam non erat, quia etsi ante in recenti suâ morte resurrexisset, nec caro ejus vidisset corruptionem, posset nihilominus momentum illud manere. Darum autem videtur ut David non fuerit in illâ resurrectione justorum, si eis jam aeterna donata est; cujus Christus ex semine et tam crebrè et tantâ evidentiâ commendatur. Periclitabitur etiam illud, quod ad Hebræos de justis antiquis dicitur, quia pro nobis meliora provide runt, ne sine nobis perfecti perficerentur, si jam in illâ resurrectionis incorruptione constituti ut quæ nobis perficiendis in fine promittitur.

Prob. 5<sup>a</sup> ex S. Chrysost., hom. 40 in 1 ad Cor. dicente: *Multi qui resurrexerant, rursus excesserant, ut qui resurrexerunt in veteri (Testamento) ut Lazarus, ut qui tempore crucis. Et hom. 28 in Epist. ad Heb., dicit nullum adhuc sanctum, nec Abraham, nec Paulum esse coronatum, scilicet resurrectione corporis; quia totum corpus Ecclesie simul coronabitur; quod probat ex verbis Apostoli supra citatis. Similiter loquitur Theodoretus, in cap. 11 ad Heb. dicens quod nullus sanctus hæcenus receperit coronam resurrectionis. Idem habet Theophylactus in cap. 27 Matth. Item S. Ambros., in cap. 8 Lucæ, dicit: Sic et RESURRECTIO TEMPORALIS in passione Domini celebratur, ut perpetua illa credatur. Accedit S. Thomas, qui licet prius in cap. 27 Matth. favisset sententiæ contrariæ, postea tamen in Summâ, 3 p., q. 53, art. 3 ad 2, approbat sententiam S. Augustini, idque idem, ut ibidem dicit: *Quia rationes S. Augustini multo efficacius videntur.**

Obj. 1<sup>a</sup>: S. Hieron., epist. 5, dicit: *Post Christum latro in Paradiso, et idcirco in resurrectione ejus nulla dormientium corpora surrexerunt, visaque sunt in caelesti Jerusalem. Ergo visa sunt in caelo, adeoque non amplius obierunt. Idem docent plurimi alii antiqui interpretes.*

Resp. Neg. consequ., ac dico mentem S. Hieron. circa hanc questionem videri ad minus dubiam: nam epist. 7, dicit: *Nec statim Jerusalem caelestis, sicut plerique ridiculè arbitrantur, in hoc loco intelligitur, cum signum nullum esse potuerit apud homines Domini resurgens, si corpora sanctorum in caelesti Jerusalem visa sunt.* Adeoque S. Hieron. nihil clarè, aut positivè desuper resolvit. Sunt tamen aliqui, quos citat S. Thomas, qui affirmant illos sanctos non amplius mortuos esse, sed non probant; et equidem debemus vel illos deserere, vel alios. Deinde Scriptura nobis facit, et pro nobis sunt tres illi, qui considerantur tanquam tres columnæ theologie, inquit Calmet, scilicet S. Chrysostomus inter Græcos, S. Augustinus inter Latinos, et S. Thomas inter Scholasticos.

Obj. 2<sup>a</sup>: Corpora istorum sanctorum non erant omnibus visibilia, sed apparebant quibus volebant, sicut corpus Christi resuscitati; ergo erant corpora gloriosa, adeoque immortalia.

Resp. Neg. consequ., ac dico istos sanctos habuisse corpus quate habuit Moyses in monte Thabor, scilicet nec omnibus visibile, nec tamen gloriosum pro semper, sed inter utrumque medium.

Obj. 3<sup>a</sup>: Saltem probatio quam desumimus ex cap. 11 epist. ad Heb. non videtur subsistere; siquidem, si nulli sancti ante communem resurrectionem fruuntur beatitudine animæ et corporis, inde sequitur quod nec D. Virgo illâ fruatur, adeoque quod nec ipsa ad vitam immortalem resurrexerit. Atqui tamen hoc admitti nequit; quandoquidem ex perpetuâ et constanti Ecclesie traditione constat ipsam cum corpore esse in caelo; ergo, etc.

Resp. Neg. sequelam majoris: Nam sicuti ex eo quod Apostolus, ad Rom. 3, v. 23, dicit: *Omnes peccaverunt*, non sequitur quod D. Virgo peccaverit; sic similiter ex textu ad Heb. 11 non sequitur quod ipsa ad vitam immortalem non resurrexerit. Deinde Apostolus, in Epist. ad Heb., non loquitur de D. Virgine, sed tantum de patriarchis sanctis V. Testamenti, dicitque illos non nisi cum sanctis N. Testamenti in extremo judicio ad vitam immortalem esse resurrecturos.

## CAPUT XXIX.

Vesperis, finito sabbato, mulieres paraat aromata, et postridiè, hoc est, die dominicâ mane postquam jam Christus resurrexerat, veniunt ad monumentum ut corpus ungerent. Matth. 28, v. 1; Marc. 16, v. 1; Lucæ 24, v. 1; Joan. 20, v. 21. Christus autem, postquam resurrectione sua sæpe apostolis apparuisset, et de regno Dei locutus fuisset, die quadagesimo post resurrectionem eduxit eos foras in Bethaniam, et ibidem elevatis manibus benedixit eis, et sublatus est in caelum, Lucæ 24, v. 50 et 51. Et sedet à dextris Dei, Marc. 16, v. 19.

## QUESTIO PRIMA.

Quandom mulieres paraverint aromata, et quandom venerint ad sepulcrum.

Resp. et dico 1<sup>a</sup>: Marcus, cap. 16, v. 1, dicit: *Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Quibus verbis innuit quod post transactum sabbatum emerint aromata; sed S. Lucas, cap. 23, postquam v. 53, narrasset quod mulieres subsecute sint corpus Christi usque ad monumentum, statim subjungit v. 56: *Et revertentes (à monumento) paraverunt aromata, et unguenta; et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.* Quibus verbis videtur innuere quod paraverint aromata die Veneris vespere, quo corpus Christi sepultum fuit; adeoque videtur inde sequi ipsas emisse aromata ante sabbatum, non verò eo transacto, ut dicit Marcus.

Ad hanc difficultatem solvendam, breviter dicendum videtur Lucam non affirmare quod paraverint unguenta ante sabbatum; nam tantum asserit quod reverse sint à monumento, et paraverint aromata ac unguenta. Deinde verò addit quod sabbatum servaverint; et sic sensus verborum Lucæ est hic: Revertentes paraverunt aromata, non quidem sabbato; nam sabbato siluerunt secundum mandatum, id est, sabbato observaverunt; sed post sabbatum, ut habet Marcus. Itaque mulieres illæ videntur emisse aromata sabbato post solis occasum; tunc enim licebat opera

servilia; et deinde illa aromata preparaverunt, ac postridiè summo mane venerunt ad sepulcrum.

Dico 2<sup>a</sup>: De tempore, quo mulieres venerunt ad sepulcrum, Matthæus, cap. 28, v. 1, ita scribit: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulcrum.* Marcus, cap. 16, v. 2, sic habet: *Et valde manè unâ sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.* Lucas, cap. 24, v. 1: *Unâ sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum.* Joannes verò, cap. 20, v. 1, dicit: *Unâ autem sabbati, Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum.* Ex tribus ergo evangelistis posterioribus habemus quod venerint unâ sabbati, id est, primâ sabbati, more Hebræis usitato, qui sæpe numerum cardinalem ponunt pro numero ordinali, ut Gen. 1: *Factum est vespere et mane dies unus*, id est, primus. Unde Mathæus dicit: *In primâ sabbati.*

Porro per primam sabbati intelligitur dies prima post sabbatum, id est, nostra Dominica; siquidem, teste S. Hieron., epist. 150 ad Hedibiam, Hebræi à sabbato, utpote sanctissimo, denominabant omnes hebdomadæ dies. Sic secunda sabbati, id est, post sabbatum, erat feria secunda sive dies lune; tertia sabbati erat feria tertia sive dies martis, et ita de cæteris. Hinc tota hebdomada vocabatur quoque sabbatum, ut *Jejumo bis in sabbato*, id est, in hebdomadâ, Lucæ 18. Sic igitur juxta Matthæum, *prima sabbati* accipitur pro primâ die hebdomadæ, seu pro nostrâ Dominicâ.

Quomodo autem vespera sabbati dicatur lucescere in primâ sabbati, variè explicant interpretes; sed communiter solet admitti et adhiberi explicatio S. P. August., qui per vesperam intelligit noctem, ita ut sensus sit: Nocte sabbati jam desinente ac lucescente, seu lucem accipiente in die dominicâ, venit Maria Magdalene, etc. Verba ejus lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 24, sunt sequentia: *À parte primâ noctis, quæ est vespera, ipsam noctem voluit significare Mattheus, cujus noctis fine venerunt mulieres ad monumentum. Eâ verò causâ intelligitur eandem noctem sic appellasse, quia jam à vespere licebat afferre aromata, transactio utique sabbato. Ergo quoniam sabbato impediçiantur ut non ante facerent, ab eo tempore nominavit noctem, ex quo eis licere coepit et ut facerent, quocumque vellent tempore ejusdem noctis. Sic itaque dictum est, vespere sabbati, ac si diceretur, nocte sabbati, id est, nocte quæ sequitur diem sabbati: quod ipsa verba ejus satis indicant. Sic enim ait: Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati; quod fieri non potest, si tantummodo e primam noctis particulam, id est, solum initium noctis intellexerimus dicto vespere significatam: neque enim ipsam initium lucescit in primâ sabbati, sed ipsa nox quæ lucem incipit terminari. Nam terminus primæ partis noctis, secundæ partis initium est; lux autem terminus totius noctis est: unde non potest dici vesper lucescens in primâ sabbati, nisi*

et nomine vesperi nox ipsa intelligatur quam lux terminat. Ita S. Augustinus.

Queritur hic etiam quomodo Marcus dicat mulieres venisse ad sepulcrum, orto jam sole. Verum hæc responsio non subsistit; quia Lucas et Joannes non agunt de tempore, quo mulieres exiverunt de domo suâ, sed de tempore quo venerunt ad monumentum, uti ex eorum verbis supra citatis manifestum est.

Melius itaque dicitur quod mulieres ad sepulcrum venerint in aurorâ, quando adhuc tenebræ erant, non quidem illæ densiores, quales sunt tempore noctis, sed quales sunt in crepusculo matutino, caelo jam albescente, et sole jam radiis suis illud illuminare incipiente. Et ita hanc apparentem contradictionem solvit S. P. Aug., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 24, dicens: *Quod Lucas dicit, valde diluculo, et Joannes, Manè, cum adhuc tenebræ essent, hoc intelligitur Marcus dicere, valde manè, oriente jam sole; id est, cum caelum ab Orientis parte albesceret, quod fit utique solis orientis vicinitate; ejus enim est ille fulgor, qui nomine auroræ appellatur solet. Ideo non repugnat illi qui ait: Cum adhuc tenebræ essent. Die quippe surgente, aliquæ reliquæ tenebrarum tantò magis extenuantur, quanto magis oritur lux. Nec sic accipiendum est quod ait: Valde manè, tanquam sol ipse videretur jam super terras: sed illi, sole jam oriente, id est, ortu suo jam caelum illuminare incipiente.*

## QUESTIO II.

Quomodo concordet evangelistæ circa adventum mulierum ad sepulcrum.

Intricatissima hic est difficultas ad conciliandam evangelistas; nam occurrunt ferè undecim apparentes contradictiones inter se intricate.

Primò. Non videntur convenire quoad horam, quâ mulieres venerunt ad monumentum.

Secundò. Juxta Joannem, cap. 20, sola Maria Magdalene venit ad sepulcrum. Dicit enim v. 1: *Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum; et vidit lapidem sublatum à monumento.* V. 2: *Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum.* Deinde in toto decursu de solâ Magdalena loquitur. At juxta Matthæum, cap. 28, v. 1: *Venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulcrum.* Juxta Marcum cap. 16, v. 1: *Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome... veniunt ad monumentum.* Lucas verò, cap. 24, v. 1, collato cum cap. 23, v. 55 et 56, plures venisse insinuat, sed nullas ibi nominat.

Tertiò. Mulieres illæ apud Matthæum, Marcum et Lucam vident angelos, qui dicunt illis quod Christus resurrexerit; Magdalena verò apud Joannem nullum vident angelum; sed visio sepulcro aperto, et non invento corpore Domini, enunciat ad civitatem, ad apostolos nuntiatum quod corpus Domini esset ablatum;

adcoque angeli nondum ipsi dixerant quod Dominus resurrexisset.

Quartò. Juxta Joannem loco citato, v. 2, Maria cucurrit ad civitatem, et tamen, v. 11, postquam Petrus et Joannes venerant de sepulcro, et iterum reversi erant ad civitatem: *Maria stabat ad monumentum foris, plorans.*

Quintò. Juxta Marcum, cap. 16, v. 9: *Surgens (Jesus) mane, primò sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene.* Juxta Joannem illi tantum apparuit postquam Petrus et Joannes à sepulcro discessissent.

Sextò. Juxta Joannem apparuit Magdalene in horto, propè sepulcrum, tanquam hortulanus. Juxta Mattheum, cap. 28, v. 9, apparuit illi, et alteri Mariæ in viâ, dùm à sepulcro revertentur in civitatem, ut apostolis nuntiarent resurrectionem. Et quidem juxta Lucam, cap. 24, v. 10: *Erant Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc.*

Septimò. Juxta Mattheum, Marcum et Lucam dixerunt angeli mulieribus quod Dominus resurrexisset: quomodo ergo potuit Maria dicere istis angelis apud Joannem, v. 15: *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum?* Et postea etiam ipsi Christo, v. 15: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum: et ego eum tollem?*

Octavò. Juxta Joannem Christus nondum apparuerat Magdalene, dum Petrus cum Joanne cucurrit ad monumentum. Juxta Lucam verò, postquam mulieres Christum viderant, et apostolis nuntiaverant, v. 11: *Via sunt ante illos, sicut defranchatum, verba illa; et non crediderunt illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum; et procumbens vidit linteamina sola posita.*

Nonò. Magdalena, Joan. 20, v. 17, prohibetur Christum tangere; sed Matth. 28, v. 9, Maria Magdalena, et altera Maria ad Christum accesserunt, et tenuerunt pedes ejus. Nec hoc illis Dominus prohibuit.

Decimò. Juxta Mattheum, v. 2 et 5, fuit tantum unus angelus; juxta Lucam et Joannem, fuerunt duo.

Undecimò. Juxta Mattheum angelus sedebat in dextris. Item juxta Lucam, v. 4: *Duo viri steterunt secus illas (mulieres) in veste fulgenti.* Et tamen juxta Joannem, v. 12, *Magdalena vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.*

Ad has omnes apparentes contradictiones solvendas, relicis aliorum phœtis, sequemur solutionem S. Aug., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 24. Interim prius nota sepulcrum Christi exilium fuisse in petra, in aliqua spelunca.

Dico primò. Christus Dominus resurrexit ad auroram. Et tunc terremotus factus est magnus, et angelus Domini descendit de celo, et revolvit lapidem sepulcralem. Descendite jam terremotus, et sublato lapide, mulieres reverentur ad monumentum, oriente sole, seu ortâ jam aurorâ; ut dictum est quest. precedente.

Secundò. Maria Magdalena venit ab initio cum aliis

mulieribus ab evangelistis citatis; sed sicut Mattheus citat tantum duas mulieres, ita Joannes citat solum Magdalenam, quia ipsa plus quam ceteræ Christum dilexerat, ut observat S. P. Aug. Et videt Joannes, volens commendare maximam ejus charitatem quâ, discipulis recedentibus, à monumento non recedebat, sed corpus Christi undique quærebatur, ipsam solum commemoravit.

Tertiò. Mulieres illæ, dum venerunt ad monumentum nullum angelum viderunt, sed monumentum invenerunt apertum et vacuum; unde attonitæ ac tristes putaverunt corpus Domini esse ablatum; adeoque Maria summè tristicis, relictis mulieribus ad sepulcrum, illisque fortè rogatis ut illæ tandem manerent dum ipsa rediret, cucurrit ad Petrum et Joannem nuntiâti quod corpus Domini esset ablatum.

Quartò. Petrus et Joannes, hoc audito, veniunt ad monumentum, et illos comitantur, aut pressè sequitur Maria; sed eum illi nihil invenerunt in sepulcro præter linteamina, etc., revertuntur domum; Maria verò manet juxta monumentum plorans, ut quærat corpus ubicumque possit invenire.

Quintò. Maria igitur præ nimio amore impatiens, redit in speluncam, inclinat se, et iterum introspicit in monumentum, et videt duos angelos, qui petunt quare ploret; sed illa unicè quærendo intenta, oculos non in ipsos, sed in illum locum ubi corpus jacuerat, figit: quare postquam respondisset: *Quare tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum,* conversa est retrorsum iterum in hortum, anxie quærens corpus. Et ecce apparet illi Dominus, quem etsi optimè nosceret, illum tamen tunc primo aspectu non agnovit; quia neque cum putaret ipsum adhuc mortuum, ad nullum reflectebat hominem vivum; sed et oculos, et omnem aciem mentis unicè intendebat in eum locum, qui poterat continere corpus mortuum. Unde ipsi Christo (quem fortè putabat esse Josephum ab Arimathæâ, horti illius dominum) dicenti: *Mulier, quid ploras? Quem quæris?* Respondit: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollem.* Ad hæc dicit illi Jesus: *Maria, scilicet illo familiaris et amico vœcis sono quo solebat illum alloqui: ad hoc Maria ipsum agnoscit, præ gaudio vult amplecti pedes ejus; sed prohibetur, et mittitur ad apostolos nuntiâti resurrectionem.*

Sextò. Itaque Maria tunc egressa est à monumento: *Hoc est,* inquit S. P. Aug., *ab illo loco, ubi erat horti spatium ante lapidem effossum. Et cum illa ibi, quos secundum Marcum invaserat tremor et pavor. Mox autem Christus tam Magdalene quam ceteris illis mulieribus in viâ occurrens, dicit: *Arête.* Ille tunc omnes simul currunt ad apostolos, referentes hoc letum nuntium: *Vidimus Dominum, et hæc dixit nobis.**

Septimò. Dixerat quidem angelus mulieribus Dominum resurrexisse, sed Maria non videtur ista verba satis audivisse, vel saltem non intellexisse. Nam res gesta videtur hoc modo: Dùm Maria stabat foris propè juxta monumentum, aliæ mulieres illud ingressæ sunt, videruntque duos angelos sedentes, quorum

unus ipsis dixit: *Nolite timere, vos: scio enim quid Jesus, qui crucifixus est, quæritis: non est hic: surrexit enim, sicut dixit,* ut habent Mattheus et Marcus. Maria verò ad hæc verba accurrit ad monumentum, inclinavit se, ut habet Joannes, et prosperit in monumentum, et vidit duos angelos... Dicit ei illi: *Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum in hortum, ubi tunc Dominum vidit.* Cùm igitur Maria Magdalena eo tempore, quo angeli mulieribus locuti sunt, steterit foris plorans, id est, inquit, S. P. Aug., ante saxi sepulcri locum, intra illud spatium quò jam mulieres ingressæ fuerant, angelorum verba ad mulieres dicta quidem aliquo modo audivit, sed ob distantiam loci, et cordis amarum tristitiam non ita articulatè audivit ut intelligere poterit. Unde non est mirum quòd post hæc dixerit: *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.*

Octavò. Christus apparuit Magdalene, postquam Petrus et Joannes à monumento recessissent. Unde dùm Lucas primò narrat quòd mulieres Christum viderint, et id apostolis nuntiaverint, et deinde subiungit quòd Petrus ad monumentum cucurrit, non servat ordinem rei gestæ; sed quòd prius factum est, posteribus narrat.

Nonò. Dùm Dominus apparuit Magdalene in horto, non permisit se tangi; quia ipsa præ nimio gaudio volebat immorari in ejus amplexu, sed dicit illi: *Noli me tangere,* noli diu hic in amplexu pedum meorum hærere; nam hoc poteris postea facere, quia me adhuc satis sepè videbis; nondum enim ascendo ad Patrem, sed vobiscum adhuc aliquo tempore manebo, et idèd noli hic hærere in meo amplexu, sed currere ad apostolos, et nuntia illis resurrectionem meam. In viâ autem permisit se tangi à Magdalena et aliis mulieribus, sed tantum festinanter. Nec debebat dicere: *Noli me tangere,* quia Magdalena jam sciebat voluntatem ejus, quam aliis vero similis indicaverat.

Decimò. Mattheus et Marcus loquuntur de uno angelo, quia ille et mulieribus fuit propior, et forsitan pro duobus verba fecit; unde non negant fuisse duos.

Undecimò. Angeli primò sederunt, ut habent Mattheus, Marcus et Joannes; deinde verò steterunt, ut habet Lucas; et sic nulla est contradictio.

#### QUÆSTIO III.

Quot faciant apparitiones evangelicæ, et quo ordine contingerint.

Jam post resurrectionem, quemadmodum apparuerit Dominus discipulis, considerandum est... ut et elucescat etiam in hæc re convenientis quatuor et evangelistarum. Ita S. P. Aug., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 25. Primò autem Christus apparuit D. Virgini: nam licet de hæc apparitione nihil habeatur in Scripturâ sacrâ; tamen ex communis apprehensione fidelium, et perpetuâ Ecclesiæ traditione desuper satis constare videtur. Unde S. Ambros., lib. 5 de Virginitate, ait: *Vidit Maria resurrectionem Domini, et prima vivit, et credit. Vidit et Maria Magda-*

lena, quævis adhuc ista videret. Sed nec de hæc, nec de duobus aliis apparitionibus, quæ juxta Apost. 1 ad Cor. 15, v. 7 et 8, factæ sunt Jacobo, et ipsi apostolo Paulo, in hæc questione agitur, quia hæc non sunt apparitiones evangelicæ.

Rosp. et dico 1<sup>o</sup>: Apparitiones evangelicæ, id est, in Evangelio expressæ, fuerunt decem.

Probat, quia in die resurrectionis apparuit quinquies, et postea quinquies, ut statim in decursu patebit.

Dico 2<sup>o</sup>: Apparitiones evangelicæ contigerunt hoc ordine. Primò apparuit Maria Magdalena juxta sepulcrum; et de hæc apparitione loquitur Marcus, cap. 16, v. 9. Item Joannes, cap. 20, v. 14, 16 et 17.

Secundò apparuit mulieribus revertentibus à sepulcro, in viâ, de qua apparitione agit Mattheus, cap. 28, v. 9 et 10.

Tertiò apparuit Petro; et de hæc apparitione fit mentio, Luca 24, v. 34; et 1 Cor. 15, v. 5. Nam etsi S. Lucas loco citato istam apparitionem tantum refert, postquam jam duo discipuli reversi essent ex Emmaus, tamen communiter putatur, prius apparuisse Simoni Petro, quam apparuit duobus cæcibus in Emmaus. Unde S. P. Aug., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 25, dicit: *Omnium virorum primo apparuisse intelligitur Petro... Probabiliter tamen creditur, postquam Petro apparuit, deinde apparuisse istis duobus, quorum unus erat Cleophas, de quibus Lucas totum narrat.*

Quartò itaque apparuit duobus discipulis cæcibus in Emmaus, Marci 16, v. 12, et Luca 24, v. 15.

Quintò apparuit vesperi valde ree suis discipulis (absente Thomâ) postquam illi duo ex Emmaus reversi essent, et apostolis nuntiâssent se vidisse Dominum; ut habent Lucas, cap. 24, v. 36, et Joannes cap. 20, v. 19. Et hoc sunt quinque apparitiones, quæ contigerunt in die resurrectionis, uti ex Evangelio manifestum est.

Sextò apparuit discipulis octo diebus post, prasente jam Thomâ, Joan. 20, v. 26. Hæc sex primò apparitiones factæ sunt in Judæâ; partim in, partim prope Jerusalem; postea autem discipuli abierunt in Galileam, Matth. 28, v. 16.

Septima apparitio facta est septem discipulis in mari Tiberiadis piscantibus, ut habetur Joan. 21, v. 1 et 2. Quod hæc fuerit septima apparitio,

Probat. Quia Joannes, ibidem, dicit v. 14: *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis.* Id est, tertio diverso die, et explicat S. P. Aug., supra citatus, dicens: *Hoc intelligendus est (Joannes) ad numerum retulisse diurnam, non ad numerum ipsarum manifestationum; nec continuum diurnam, sed per intervalla; sicut enim ipse testatur. Nam primo ipso die resurrectionis suæ, excepto quòd à mulieribus visus est, id est, quòd in Evangelio claret, ter se manifestavit; scilicet Petro, iterum duobus illis, quorum unus erat Cleophas, tertio pluribus jam inde colloquentibus noctis exordio. Sed totum Joannes ad unum diem referens, senel*

computat; iterum autem, hoc est, alio die, quando cum vidit et Thomas: tertio vero ad mare Tiberiadis; hoc est, tertio die manifestationis ejus, non tertia manifestatione.)

Octava apparitio fuit illa famosa, quam non tantum angeli, sed et Christus ipse jusserat per mulieres apostolis nuntiari, Matth. 28, v. 10: *Ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt.* Designavit autem Dominus eis montem, ut communiter creditur, Thabor. Undecim autem discipuli (ut dicit Mattheus, v. 16, et plures alii undique congregati, qui jam famam resurrectionis ejus audiverant) abierunt in Galilaeam, in montem, ubi constituerat illis Jesus. Et ibidem, ut ex Apostolo, 1 Cor. 15, v. 6, colligitur, visus est vltus quem quingentis fratribus simul.

Nona facta est ipso die ascensionis, in Judaea, verisimiliter in Jerusalem; de qua Marens, cap. 16, v. 14, ait: *Novissime recumbentibus illis undecim apparuit.* Haec fuit ultima apparitio, qua illis apparuit in terra, et cum illis manducavit. Post hanc apparitionem educit eos foras in Bethaniam, Luc. 24, v. 50, et in monte Oliveti elevatis manibus suis illis benedicens, v. 51, recessit ab eis, et ferebatur in caelum; non disparando, seu evanescente, ut in ceteris apparitionibus, sed paulatim sursum se attollendo, illis videntibus, donec tandem nubes eum secluderet ab oculis eorum, ut narratur Act. 1, v. 9. Faciem habebat versis Occidentem, sicut ex ultimis vestigiis pedum ejus patet, quae in caelum ascensus petrae veluti ceræ impressit, et adhuc ibi cerni dicuntur.

Itaque decima apparitio fuit in monte Oliveti, dum jam erat elevatus a terra. Et de hac apparitione loquitur Lucas, cap. 24, v. 51; item Marcus, cap. 16, v. 19. Ita apparitiones illas ordinat S. P. Aug., loco supra citato, dicens: « Invenimus itaque apud quatuor evangelistas decies commemoratum, Dominum visum esse ab hominibus post resurrectionem. Semel ad monumentum mulieribus. Iterum eisdem regredientibus a monumento in itinere. Tertio Petro. Quarto duobus euntibus in castellum. Quinto pluribus in Jerusalem ubi non erat Thomas. Sexto, ubi eum vidit Thomas. Septimo ad mare Tiberiadis. Octavo in monte Galilaeae secundum Mattheum. Nono quod dicit Marcus: *Novissime recumbentibus*, quia jam non erant in terra cum illo convaturi. Decimo in ipso die, non jam in terra, sed elevatum in nubem, cum caelum ascenderet, quod Marcus et Lucas commemorant. »

Sunt quidem nonnulli, qui contendunt quod apparitio illa, de qua agit Marcus cap. 16, v. 14, contingerit in die resurrectionis, dicuntque quod sit eadem cum illa quae est inter evangelicas ordine quinta. Ratio una ipsorum est haec, quod Marcus tantum meminerit apparitionem primae diei. Sed haec ratio nihil probat; quia tanquam verum supponit id quod haeret in questione; scilicet an Marcus tantum meminerit apparitionum primae diei.

Deinde quod ista apparitio non in die resurrectionis, sed in die ascensionis contingerit, videtur ex eo contextu, qui est hic: Christus primò apparuit Mag-

dalene, deinde duobus euntibus in villam: novissime apparuit undecim apostolis manducantibus, et dixit eis: *Euntes in mundum universum praedicare Evangelium omni creaturae, etc. Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in caelum et sedet à dextris Dei.* Constat autem ex Act. 1, quòd Dominus in die ascensionis, inter manducandum dederit apostolis novissima, seu ultima sua praecepta; ergo lotus contextus innuit quòd Marcus loquatur de ultima apparitione quae facta est in terra. Unde et istud Marci Evangelium legit Ecclesia in Festo Ascensionis. Item hanc sententiam sequuntur Beda in cap. 16 Marci, S. Gregorius, hom. 29 in Evangelia, D. Bernardus, serm. 1 de Ascensione, Lyranus, etc.

Insuper, juxta Marcum, Christus apparuit undecim apostolis; atqui die resurrectionis non apparuit undecim, sed tantum decem, nam tunc aberat Thomas, ut liquet ex Joan. 20, v. 24; ergo ista apparitio de qua loquitur Marcus, non contigit in die resurrectionis.

Neque ad hoc responderi potest Marcum dixisse undecim, non quia aderant praecise undecim, sed quia tunc, propter defectionem Judae, collegium apostolorum constabat ex undecim personis. Nam in isto proposito, quoties evangelistae alibi loquuntur de duodecim apostolis, semper incertum erit quot praecise adhaerint; quia similiter responderi poterit quòd nominant duodecim, non quia aderant praecise duodecim, sed quia ante defectionem Judae collegium apostolorum constabat ex duodecim personis. Hinc S. P. Aug., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 25, postquam opinionem quae assertit apparitionem istam, de qua loquitur Marcus loco praecitato, contigisse in die resurrectionis, proposuisset, eique aliquo modo favesit, tamen propter difficultates quas in eadem reperit, proponit aliam, ita scribens: « *Illud ergo accipiamus*, post multas demonstrationes ejus, quibus per dies quadraginta discipulis presentatus est, eum etiam novissime et quadagesimo die, seu die ascensionis. Et quòd S. doctor non tantum hanc sententiam nudè proponat, sed etiam amplectatur, necdum ex jam citatis, sed etiam ex supra propositis ejus verbis manifestum est: nam ibidem apparitiones evangelicas ordinans, dicit quòd praefata apparitio fuerit ordine nona, et ultima quae facta est in terra. »

#### Solvuntur argumenta

Obj. 1<sup>a</sup>: In illa apparitione de qua loquitur Marcus, exprobravit Dominus incredulitatem et duritiam cordis apostolorum, quia illi qui viderant eum resurrexisse non crederent; atqui hoc debet necessario intelligi de primà die qua apostoli mulieribus dicentibus se vidisse Dominum non crederent; ergo, etc.

Prob. min., quia in die ascensionis omnes ipsam viderant, et firmiter credebant cum resurrexisse; ergo tunc non poterat ipsis exprobrare quòd alii qui ipsam viderant non crederent.

Resp. Neg. min. et consequent., et dico cum S. P. Aug., loco supra citato, quòd Christus in die ascensionis id rectè ipsis exprobraverit, quia tunc mittebat eos ad

gentes, quae erant crediturae illa quae non viderant; ubi tamen ipsi apostoli credere noluerant ipsum resurrexisse, nisi viderent. Unde, juxta Augustinum, illa exprobratio in die ascensionis continet hunc sensum: Vos tam tardi corde fuistis ad credendum, ut nolueritis credere me resurrexisse, nisi prius me videretis; sed ite jam in mundum universum, et praedicate meam resurrectionem, aliaque fidei mysteria omnibus gentibus; ipsae enim haec firmiter credent, quamvis non sint visurae.

Obj. 2<sup>a</sup>: Apparitio, quam dicit Marcus factam quando Christus duobus euntibus in villam ostensus est in illa effigie, diversa est ab illa quam dicit Lucas factam duobus euntibus in castellum, ut patet ex contextu; ergo Christus in die resurrectionis apparuit plus quam quingentis.

Resp. Neg. ant., et dico cum S. Aug.: « Castellum est illud non absurdè accipimus etiam villam potuisse appellari... Quod autem ait Marcus eis in illa effigie Dominum apparuisse, hoc Lucas dicit quòd eorum et oculi tenebantur, ne agnoscerent eum. »

Inst. Dicit Marcus de illis discipulis: *Illi euntes mutaverunt ceteris; nec illis crederent.* Lucas verò dicit invenisse ceteros jam credentes, et dicentes: *Surrexit Dominus verè.*

Resp. cum S. Aug.: *Quid intelligendum est, nisi aliquos ibi fuisse qui hoc nolent credere?* Itaque plures crederent Petro; alii tamen nec Petro, nec postea illis duobus crederent.

Obj. 3<sup>a</sup>: Apparitio quinta est conflata ex duabus diversis, quarum unam narrat Lucas, alteram Joannes; ergo, etc.

Prob. ant., quia Lucas, cap. 24, dicit Christum, dum apostolis apparuit, illis tantum promississe se daturum Spiritum sanctum; et ideò jubet illos sedere in civitate, quoadusque induantur virtute ex alto. Juxta Joannem verò, cap. 20, Christus insufflavit et dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum*; ergo sunt duae diversae apparitiones.

Resp. Neg. consequent., quia utrumque in una eademque apparitione factum est; scilicet dedit ipsis Spiritum sanctum, ut Joannes dicit, sed tantum quoad potestatem remittendi peccata, et quoad propriam eorum sanctificationem, ad dignè potestate illà utendum. Promisit tamen insuper, ut Lucas dicit, se missurum Spiritum sanctum cum omni sua plenitudine, et quoad dona et gratias gratis datas, quod promissum adimplevit in festo Pentecostes.

Inst. 1<sup>a</sup>: In apparitione, de qua agit Joannes, erant tantum decem apostoli; nam dicit expressè v. 24: *Thomas... non erat cum eis, quando venit Jesus.* Atqui in apparitione, de qua agit Lucas, erant undecim; nam dicit Cleopham et ejus socium invenisse congregatos undecim, et eos qui cum illis erant: et statim subdit: *Dum haec loquuntur, stetit Jesus in medio eorum.*

Resp. discipulos ex Emmaus reversos invenisse S. S. XXIII.

quidem undecim apostolos congregatos; sed Deo ita disponente, ut fidem nostram auget, et Thomas abiverat antequam Christus appareret. Unde Augustinus ait: « Quod autem dicit Joannes non cum illis tunc fuisse apostolum Thomam, cum secundum Lucam duo illi, quorum unus erat Cleophas, regressi Jerusalem invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant, procul dubio intelligendum est quòd inde Thomas exierit, antequam eis Dominus haec loquentibus appareret. »

Inst. 2<sup>a</sup>: Si Thomas abivisset antequam Dominus appareret, non accepisset potestatem remittendi peccata, sicut ceteri; atqui tamen admitti nequit quòd illam non accepit; ergo, etc.

Resp. Joannem nimis apertè habere quòd Thomas non esset cum eis, quando Dominus insufflavit, et dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum*, etc., adeòque negari non potest quòd Thomas tunc abiverit. Quare dico Dominum dedisse illi istam potestatem vel octo diebus post, dum Thomam apparuit; vel eodem die cum ceteris, quamvis esset absens: erat enim Christo tam facilè illam potestatem dare absentem ac praesenti. Sic Numer. 11, v. 26, Eldad et Medad, quamvis absentes, acceperunt Spiritum sanctum, et donum prophetandi, quia descripti erant à Moysè in numero septuaginta seniorum Israel.

Obj. 4<sup>a</sup>: S. Hieron., in cap. 28 Matth., dicit quòd Dominum apparerit Thomae, illicque vulnera sua ostenderit in Galilaea, in monte, ubi constituerat illis Jesus. Verba S. Hieron. sunt haec: *Tunc manifestus ostendit Thomae, et latus lancea vulneratum, et manus fixas demonstrat clavibus.* Ergo nos malè postumus sextam apparitionem tanquam distinctam ab octava.

Confirmat id Rupertus hoc argumento: Apostoli in die resurrectionis acceperunt mandatum eundi in Galilaeam, ut narrat Mattheus et Marcus. *Et ibi eum videbitis*, dicitur Marci 16, v. 7, sicut dixit vobis. Atqui non est verosimile quòd Christus illam promissionem tantum post octo dies adimpleverit, nec quòd apostoli tantùm protectionem sibi praecipiam distulerint; ergo, etc.

Resp. S. Hieron. nequaquam asserere quòd Christus antea in sexta apparitione Thomae non ostenderit vulnera sua; sed tantum dicit quòd in octava manifestus ostenderit, scilicet jam coram tam nullis, etc., ubi antea ipsi tantum ostendit inter privatos parietes. Nec hoc in octava apparitione fecit, ut Thomam à suà incredulitate liberaret, sed ut omnes in fide confirmaret; sive potius tunc omnibus sua vulnera clarè ostendit; et ideò manifestus Thomae ac aliis probavit suam resurrectionem.

Ad confirmationem dico quòd, sicut apostoli habuerunt determinatum montem ad quem debebant omnes convenire; ita similiter habuerunt vero similis determinatum diem quo debebant ad montem illum convenire; aliàs praecceptum illud fuisse nimis vagum. Unde non mirum est quòd mox non abiverint, quia ille dies non mox instabat.

(Trente-cinq.)